B. N. C
FIRENZE
1062
29

M[illegible] 1062.29

1062
29

A I

JOANNIS GEORGII GRAEVII

ORATIO

In natalem quinquageſimum

ACADEMIAE TRAJECTINAE

HABITA

Auctoritate publica

A. D. xvii. *Kl. Apriles* cIↃ IↃc Lxxxvi.

In baſilica maxima.



1379

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ *FRANCISCI HALMA*, Academiæ Typographi, M. DC. Lxxxvi.

1062.89

NOBILSSIMIS. ET. AMPLISSIMIS. URBIS. TRAJECTINAE.

CONSVLIBVS. SENATORIBVS.

ET.

MAGISTRATIBVS.

ACADEMIAE. INSTAVRATORIBVS. ET. SERVATORIBVS.

JOANN. GEORG. GRAEVIVS.

ORatio quae Veſtra, Patres, auctoritate in feſtivitate ſollemni, a Vobis indicta, eſt habita, nunc in Veſtrum prodit conſpectum, non ut Veſtram Vobis commendet Univerſitatem, qua nihil

nihil vobis carius eſſe tot luculentis argumentis declaraſtis, ut nihil nobis exploratius, nihil omnibus poſſit teſtatius eſſe; ſed ut Veſtri judicii praerogativa, tanquam ſecunda quadam aura provecta in lucem ex tenebris emergat. Vobis enim probata nec malevolorum hominum, nec ineptorum cenſorum voculas & ſuſurrationes unius aeſtimabit aſſis. Nulla vero dubitat, quin qua illam attentione in maximo populi concurſu & ſtrepitu audiviſtis, ea benevolentia ſitis accepturi & lecturi. Non ob ullam aliam cauſſam ſit juris publici, quam ut infinita Dei in nos beneficia, & incredibi-

dibilem veſtrum amorem erga doctrinae ſapientiaeque ſtudia grato praeconio celebret, & ad omnem poſteritatis memoriam prodat. Quod enim ſibi conſcientia ſuae infantiae promittere non ſuſtinet, hoc Veſtra illi promittunt illuſtria nomina, laetiſſimumque de Veſtrae Academiae perpetuitate augurium. Valete Patres ampliſſimi. Deus faxit ut Veſtro beneficio gaudeant quicunque a Vobis, Veſtris civibus, aliisque gentibus committuntur nobis liberi, Voſque ipſi bene id poſitum eſſe ſemper laetemini.

LECTO-

LECTORI S.

QVantae curae ſit Ampliſſimo hujus Vrbis Senatui dignitas & ſalus Academiae Trajectinae neminem patitur ignorare XVII *Martii hujus anni feſtiſſima pompa, qua quinquageſimum ejus natalem celebrandum eſſe decreverat. Cum is illuxiſſet, ab hora ſexta matutina ad ſeptimam omnium templorum & turrium campanis ſignum quaſi dabatur ad ſecuturae ſollemnitatis laetitiam. A ſeptima ad octavam aeneatorum & tympanotribarum clangor in editiſſima turri urbem exhilarabat. Sequente muſicus campanarum in illa concentus eam oblectabat. Nona rurſus campanarum totius urbis ſonitu omnia perſtrepebant. Decima tubae & aenea tympana denuo foris audiebantur, in baſilica vero maxima modulatiſſimus ſymphoniacorum chorus. Circa undecimam Ampliſſimi Conſules & duodecim Senatores, quibus cura rerum Academicarum eſt mandata, ut & qui eis eſt a ſecretis, venerunt in Senatum Academicum, ubi Profeſſores eos praeſtolabantur togati. Ex illo primum Conſules Rectorem Magnificum, & cui partes dederant verba faciendi, praecedentibus apparitoribus cum faſcibus Academicis, dehinc Senatores ceteri bini Profeſſores binos medios deducebant in templum majus; in quod Illuſtriſſimi Provinciae Ordines, Electi, Equites, omnes hujus urbis, ceterique Magiſtratus, nec non Provincialis Curiae Senatores, & omnis ordinis & dignitatis honoratiſſimi cives & advenae, jam convenerant ad hanc panegyrin cohoneſtandam. Suggeſtum aulaeis velatum, ex quo conciones ſacrae ſolent alio tempore haberi, conſcendebat Orator, Profeſſoribus ad utrumque illius latus ſubſellia occupantibus. Interea ſuaviſſime cum fidibus tum aſſa voce canebatur. Dein oratio fuit habita in maxima hominum frequentia. Mediae vero, ſic argumento ſuadente, interponebatur ſymphonia; ad quam, illa finita, reducebantur in locum, in quo Senatus Academicus agitur, a Coſſ. & Senatoribus Profeſſores, eodem ordine, quo fuerant arceſſiti. Poſt haec in curia lauto & apparato prandio accipiebantur; ad quod invitati erant etiam viri Nobiliſſimi ex Praepotentibus Ordinibus. Pomeridianis horis omnibus ſuavis ille Campani aeris, cum quod in turri magnae baſilicae, tum quod in curiae faſtigio eſt, concentus & tubarum ſonus ingeminabatur. Nec tamen haec dies omnia iſtius feſtivitatis gaudia finivit. Altero & tertio die poſt veſperi ante pomoeria miſſilibus ignibus varii generis ſpectatorum oculi paſcebantur.*

ILLU-

ILLUSTRES. ET. PRAEPOTENTES. POPULI. TRAJECTINI. ORDINES. ELECTI. EQUITES. MAGISTRATUS. GENEROSISSIME. PRAETOR. NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI. CONSULES. ET. SENATORES. ACADEMIAE. CURATORES. GRAVISSIMI. CURIAE. PROVINCIALIS. SENATORES. CLARISSIMI. MAGNIFICE. RECTOR. PROFESSORES. COLLEGAE. CONJUNCTISSIMI. CASTISSIMI. VERBI. DIVINI. PRAECONES. DOCTORES. OMNIUM. FACULTATUM. ERUDITISSIMI. HOSPITES. CIVES. INCOLAE. OMNIUM. ORDINUM. GRADUUM. AETATUM. HONORATISSIMI. TUQUE. LECTISSIMA. JUVENTUTIS. CORONA. SPES. PATRIAE. NOSTRAE. DELICIAE.

AUſpicatiſſimus hujus diei exortus & feſtivitas, auguſti iſtius loci religio, veſtraeque in illum defixae mentes & oculi me monent, ut primum, relictis rebus & curis aliis omnibus, Deo ter optimo maximo, tanti be-

neficii auctori, & Chriſto Servatori, hujus Academiae praeſidi & cuſtodi, laudes grateſque dicamus, qui hanc tam candidam & tam deſideratam lucem, feliciter nobis illuceſcere voluit. Dei munus eſt, quod hoc ſapientiae bonarumque artium ſacrarium, hoc ipſo die, hoc ipſo in loco ante annos quinquaginta apertum, poſt ſpurciſſimas tempeſtates, quae ei incubuerunt, non ſolum ſtet ſartum tectum, ſed novis ornamentis decoratum, nec poenitendis amplificatum auctibus floreat, & altius caput efferat. Tantam & tam luculentam divinae benevolentiae erga hanc Urbem, cujus ancile eſt Univerſitas noſtra, ſignificationem non tacitam praetermitti, ſed grate quinquageſimum iſtius lycei natalem numerari, feſtiviſque plauſibus & vocibus, omnique laetitiae apparatu celebrari placuit Ampliſſimis & Munificentiſſimis hujus Urbis Magiſtratibus. non quod moveantur arcana quadam vi & poteſtate numerorum, quam Chaldaei, Aegyptii, & Pythagorae Platoniſque domus eis adſcripſerunt, ſed quod ad exemplum reipublicae Hebraeorum, quam Deus ipſe condidit, & legibus a ſe latis formavit, annum quemque quinquageſimum, quem Jubilaeum vocabant, ex Dei praeſcripto ſacrantium, tanta tanti temporis beneficia, quibus nos cumulavit, nolint obliterari ingrato ſilentio, ſed praedicari publice. Mihi hanc perſo-

nam impoſuerunt ſingularis illius divinae benignitatis in nos commemoratione gratum memoremque tot in nos meritorum animum teſtificandi. Tulit meae vitae ſectaeque ſtudiorum, quam ſequor, nec non temporum ratio, ut non ſemel de ſuperiore loco verba mihi fuerint facienda, ſecunda, niſi me fallat fama, concione, nec iniquis audientium auribus, ut fidenter ſatis & ſine ulla formidine id muneris ſuſcipere poſſe videar: ſicut miles multis expeditionibus induratus, qui ſaepe manus in acie conſeruit cum hoſtibus, omnem praelii aleam imperterritus ſubit. Sed tamen, diſſimulare non poſſum, tantus Procerum virtute, genere, dignitate, legationibus ad maximos & potentiſſimos Europae Reges & Principes obiris illuſtrium, nec tantum in Belgicae noſtrae, ſed Europae & ſeculi decus refulgentium ſplendor: totius graviſſimi & ampliſſ. ſenatus, quae mirifice hanc panegyrin honeſtat, praeſentia: tantus hoſpitum honoribus, doctrina, virtute præcellentium concurſus: tantus populus, qui quam late patet oculorum obtutus, non modo cuncta ſubſellia, ſed omnes angulos replet, ut capaciſſima haec baſilica frequentiam tantam non capiat; rerum praeterea dicendarum pro ſolemnitate hujus feſtivitatis copia & gravitas; nova denique plane conventus hujus noſtri forma, novaque hujus exedrae, in quam nunc conſcendendum mihi fuit, & inſolita

B plane

plane facies, majorem opinione mihi incutiunt trepidationem. Cujus enim eſt tanta ingenii & dicendi ubertas, qui ſe ſperet aut quae dicenda ſunt in tam ſollemni die dicendo ſe conſequi, aut tanto digna conſeſſu adferre, ac tot auditorum expectationi ſatisfacere poſſe? Alios videor audire querentes, cur iſta praeteriit, quae erant narranda, alios, cur iſta perſequitur, quae ſileri nullum fuiſſet damnum; alios, cur in iſtis tam copioſe & abundanter, in his tam ſicce & jejune verſatur. Sicut enim non uno voto, ſic non una vivitur ſententia. Verum cum mihi tergiverſari, & detrectare quod impoſitum his humeris eſt onus non liceat, alea jacienda eſt, quomodocunque cadat. Reficit tamen & recreat me Conſcriptorum Patrum, a quorum pendemus nutu, auctoritas; & obſequendi gloria, cujus cura mihi ſemper fuit antiquiſſima. Utraque arx mea erit, & mea ara. Cum vero accingor mandatae mihi provinciae pro meis facultatibus ornandae, non contendo a vobis, Auditores, ut tacite & attente me audiatis. Allego ad vos Academiam, veſtram, Patres, filiam, quam tanta cura, tanto ſtudio, tantis impenſis fovetis; veſtram, Auditores ceteri, nutricem, quae aut olim aut nunc vos ſuo ſinu, in quo aut adoleviſtis aut nunc creſcitis, complectitur; veſtramque, qui eam ſalutatum veniſtis hoſpites, amicam. Haec petit, ut ſupplicationem hujus diei, quae illi

illi eſt decreta, fauſtis ominibus proſequamini, ut faveatis ore, utque Deo ejus ſtatori & Conſervatori in ſacratiſſimo hoc ejus templo caſte pieque nobiſcum gratulemini, votaque pro ejus ſalute in poſteri temporis & novi quaſi ſeculi felicitatem nuncupetis.

Annus vertebatur hujus ſeculi quartus & tricesſimus, cum, quod ante ſaepius agitaverant, magnificus hujus Urbis Senatus excitavit illuſtrem ſcholam, in quam, qui minuſculis quaſi Muſarum ſacris defuncti in inferiorum ludorum ſubſelliis erant, producti ad ſecretiora Muſarum admitterentur adyta, & ad reconditioris doctrinae myſteria inſpicienda. Praecipua, quam ſequebantur Proceres in iſto gymnaſio aperiendo ratio erat cura ſuorum liberorum, ſuorumque civium. Nec enim ex eorum re, nec ex ſplendidiſſimae & beatiſſimae hujus Urbis dignitate cenſebant eſſe, filios ſuos, cum puerilium annorum rudimentis depoſitis vix ferulae ſubduxiſſent manus, peregre vicinas quantumvis in ſcholas mittere, ad majorem animi cultum capeſſendum, qui nondum vitae ſuae modum habere ſcirent, ubi liberius vivendi poteſtas eſſet data. Exiſtimabant enim nuſquam jucundius morari liberos, quod Plinius ſapienter ſuis municipibus praecipiebat, quam in patria; nec pudicius contineri, quam ſub oculis parentum, nec minore ſumtu ali quam domi, peregre enim omnia emi. Haec cum ſederet ſententia

tia majus quoddam pandendi theatrum pulcherrimarum artium, in quo ſe iis devota juventus hic majore cum fructu exerceret, quam foris, quod tamen aliis, cujuſcunque generis & loci, ſi qui his commoditatibus uti frui vellent, aeque ac ſuis pateret, a. d. xv Kal. Quinctiles hujus, quem ſignificavimus, anni dedicatum tandem fuit magno totius civitatis & omnium ordinum cum applauſu illuſtre gymnaſium, Conſulibus Theodorico Velthuſio, & Antonio Goyero. Narrant poetae, Auditores, apud ſuperos Honorem & Reverentiam matrimonio junctos ſuſtuliſſe filiam, Majeſtatem, quae non per gradus & proceſſus aetatum, ut ceterae Deae creverit, ſed ſimul editam, ſimul grandem & plenis nubilem annis ~~fuiſſe, purpureaque ſtola ornatam,~~ comitibus pudore & metu, in medio coeli conſediſſe, & omnium in ſe Deorum Dearumque oculos convertiſſe, maximamque ſui obſervantiam & admirationem in eorum animis moviſſe. Quae de majeſtate lepide & ſcite finxerunt poetae, ut illius ingenium ſub hujus fabulae involucro deformarent, rectius poterant dici de Ultrajectino gymnaſio. Vix natum in tantam magnitudinem illico ſurgebat induſtria doctrinaque Profeſſorum, ut fidem excederet, utque lux ejus longe lateque diffuſa multarum celebrium, & antiquarum academiarum ſplendorem obſcuraret, gymnaſiique nomen intra famam ejus eſſet. Profeſſores principes,

cipes, qui ab ipſis incunabulis illud ſtatim ſic illuſtrabant, ut non tam fundamenta illius celebritatis jeciſſe, quam in ſummum faſtigium eduxiſſe viderentur, erant maximus ille Theologus, Gisbertus Voetius; ſummus ſuae memoriae juriſconſultus Antonius Matthaeus, diſertiſſimus Aemilius, pereruditus Liraeus, & acutiſſimi ingenii Philoſophus Henricus Reinerus. Publicis acroateriis, in quibus ſalutares doctrinae promitterentur, dicatus fuit ille locus, in quo olim concilium quinque collegiorum Canonicorum, ut vocantur, cum de ſumma re deliberarent, cogebatur; ſed quem magis honeſtavit conventus Ordinum Geldriae, Hollandiae, Zelandiae, noſtrae dioeceſeos, & Friſiae. In hoc enim anno ſeptuageſimo nono ſuperioris ſeculi, coierant auſpicato, ut arctiore foedere jungerentur ad omnem ſervitutis, quam jam exuerant, memoriam abolendam, & ſociatis animis, voluntatibus & armis libertatem tuendam; ſingulari fato, ut ibi libertas fundaretur, ubi liberales diſciplinae, libertatis alumnae, (ſemper enim illarum cultus in liberis rebus publicis maxime floruit, & cum ipſis corruit,) poſt annos admodum quinquaginta flori juventutis eſſent tradendae, & ubi etiam nunc traduntur, & per multorum ſeculorum decurſum, ſic augurari libet, tradentur. Haec autem ſubita & nec opina illuſtris ſcholae incrementa vicinos & exteros per-

cellebant, Procerum vero noſtrorum advertebant animos, ut hanc aediculam, ſed multis amplis delubris ſplendidiorem, quam poſuerant, ſic addicentibus ſecundis auguriis, nondum elapſo biennio in auguſtiſſimum & omnibus numeris abſolutum templum extollerent, cum iis Academiam condendi jus & facultatem Illuſtriſſimi Ordines dediſſent. Cum enim principia tam bene tam proſpere feliciterque proveniſſent, quae futura eſſent poſtprincipia pulchre intelligebant. Hinc nihil ſibi curae ſtudiique reliquum fecerunt ut id, quod ſuperis hominibuſque approbantibus moliri coeperant, perficeretur, & inchoata conſummarentur. Videbant hanc Urbem ſollertis quaſi naturae manu factam ad ſapientiae ſtudia ſinu ſuo excipienda fovendaque: Vix uſquam gentium locum reperiri, in quo aut habitare Muſae ſplendidius, & jucundius; aut coli poſſint caſtius & ſuavius. Quid enim noſtra Trajecto amoenius, copioſius, ſalubrius, & elegantius? Quocunque vertas oculorum aciem, mirifico & jucundiſſimo ſpectaculo paſcetur. Sive in Urbe contempleris templa, templorumque areas, viaſque peramplas laetiſſimis arboribus veſtitas, quas perennes liquidiſſimarum aquarum rivi, navium tamen patientes, ſecant: ſive proſpicias extra pomoeria delicatiſſimum illud ſuburbanum nemus, undique ſubdivale ſphaeriſterium ambiens, hortis, xyſtis, viridariis praetextum ab

ab utroque latere, quod ambulationes ac rhedarum geſtationes inumbrat, & quod nec illius nemoris, ubi Numa condicebat nocturnae amicae, nec Daphnei luci amoenitatibus concedit: ſive prata illa florida & gemmea; ſive agrorum exuberantium laeta ſegete diffuſam planitiem, campos armentis & gregibus refertos, ripas trium fluviorum: quorum Rhenus pater Urbem alluit, ſed leniſſimo lapſu, tanquam qui Muſarum ſilentio nolit obſtrepere, cum olim fervens & rapidus per Lugdunum petens Oceanum grandi in illum effunderetur ore: alter & ipſe magni Rheni alveus, cui nomen Leccae, non longe abhinc per foſſam non poenitendi operis merces Germanorum nobis adportat, & noſtras cum illis communicat: tertius hic natus, placidiſſimus Vechta, qui magnificis praetoriis & villis pulcherrimis, ad ejus margines poſitis, tanquam perpetuo ſuburbio Trajectum annectit aeternae Amſtelodamenſium urbi. Quid dicam de clementia coeli, de circumjacentis agri apricitate, de ſalubrium aurarum ex vicino monte afflatu, quas nullus ſtagnorum & paludium gravis & noxius ſpiritus inficit: de fontium & rivulorum argento quovis candidiorum ſalutari ſuavitate & copia? Nolo hic praedicare ſoli feracitatem, quod quicquid non modo ad uſum vitae deſideratur, ſed & ad delicias quaeritur, copioſe profert.

Humanitatem, comitatem, & morum elegan-

tiam in civibus noſtris ſemper praedicarunt mirati que ſunt exteri. Sane Juſtus Lipſius, Belgarum ſui temporis ſapientiſſimus & eruditiſſimus, hanc beneficam & humanam naturam velut fato aut genio inter omnes adſitas gentes propriam noſtrae Urbis eſſe luculento teſtimonio ad omnem poſteritatis memoriam prodidit. Haec omnia, nec pauca alia, quae ſciens volenſque praetervehor, juncta & conſociata in nullo alio foederatae Belgicae oppido invenias. Plurimum autem ad praeclaras artes excolendas & illuſtrandas ſingula, ne dum univerſa conferunt. Amoenitas locorum & excitat animos ad ſtudiorum agitationem, & laſſos recreat. Hinc poetae Muſas collocarunt in Parnaſſos, Helicones, Pindos, ad Hippocrenen, & Libethridem, hoc eſt in montes & ad fontes ac amnes plenos amoenitatis & voluptatis. Salubritatem vero locorum ei ſequendam eſſe, qui deditus eſt cultui doctrinarum, nemo, credo, negat. Si enim corpus laborat, animus vigere non poteſt. Sanitatem autem aut facit aut tuetur maxime tenuis & calore temperatus, quem ſemper ducimus, aer, ac viva & illimis aqua. Sed tamen ad ſapientiam, ajunt, nihil facit locorum nobilitas aut obſcuritas. Boeotorum in craſſo aere Pindarus, Corinna, Epaminondas & nati ſunt & educati. Vervecum in patria lucem vidit, & adolevit Democritus. Barbarorum barbari Thraces Linum, Orpheum, Muſaeum, Phaedrum

drum oſtentant, Phryges Aeſopum, Scythae Anacharſin.

Non inficior, Auditores, magnum & excellentem animum a Deo tanquam a ſole radium demitti, & ubique afflari: nullam eſſe tam feram & incultam gentem, apud quam non extiterit aliquando, quem divinior mens ſupra civium ſuorum ſortem & indolem extulerit; ſicut e diverſo apud populos, ſapientiae laudibus inclytos, homines etiam aliquot ſtupidos & fatuos, & apud politiſſimos inventos eſſe non nullos inſulſos, inficetos, ac ruris plenos. Sed nec hoc infitiandum, fuiſſe gentes populoſiſſimas, quae ingenii ſollertia cum in intelligendo, tum in dicendo, tum in rebus gerendis domo foriſque, excelluerint, ut Athenienſes, quamvis ſtolidus quoque Meletides inter Athenienſes numeretur; alias, quas quaſi a natura neglectas, & iratis geniis creatas, ſtupor in perpetuum indocilis nobilitavit, ut Thebanos, Cares, Phrygas. Cui hoc alii adſcribemus cauſae quam temperiei coeli, & ingenio ſoli? Equidem Platonis ſententia eſt, Minervam, cum Athenas, in illo, in quo ſitae erant loco, condi voluiſſet, nihil aliud quam naturam regionis in conſilio habuiſſe, quae tam praeſtantia promitterit ingenia. Uſu cognitum eſt iſtorum acutorum Athenienſium colonos in alias terras deductos, in nepotibus brevi degeneraſſe, tanquam plantas ex felici in ſteriliorem & aſperioris coeli fundum tranſlatas, illamque aciem animorum vitio loci fuiſſe hebetatam. Ecquam aliam cauſam fuiſſe putamus, cur Traje-

ctum ingeniorum tanto proventu floruerit, vel antequam inſtitueretur Academia, quam purum iſtud coelum, quod dies noctesque haurimus ſpiritu, & agri, qui circa eſt, ſalubritas. Nulla, nulla profecto foederatorum Belgarum Urbs tot virorum, quos ingenii monumenta in omni ſcientiarum genere conſecrarunt, ferax fuit.

Adrianum VI Pontificem Maximum, humilibus parentibus in hac urbe prognatum (pater Adrianus Florentius navibus texendis quaeſtum faciebat, idque nomen ferebat filius etiam antequam ad pontificatum proveheretur) ſola virtutis & doctrinae, quam ſcriptis editis teſtatam orbi fecerat, opinio commendarat Maximiliano Caeſari, & Ferdinando Hiſpaniarum Regi, ut ex liberis ſuis nepotum duorum *Caroli* & *Ferdinandi* teneram aetatem illi fingendam & formandam traderent. Carolus, cognomine *Quintus*, diſciplinae ejus alumnus, omnium, qui poſt Carolum M. fuerunt, imperatorum maximus & potentiſſimus, cum poſt adultus ex Hiſpania proficiſceretur, totius regni ſummam ejus fidei & curae credidit. Leone X vero mortuo, nunquam ante hac viſus Belga Adrianus a collegio ſummorum ſacerdotum, omnium conſenſu & ſuffragiis Pontifex renunciatus Romam ex ultimis terris arceſſebatur, quod ſemel tantum in Urbe illa ante ducentos & viginti circiter annos factum erat.

Nulli ignotus eſt Joannes Heda, qui primus

Epi-

Epiſcoporum hujus dioeceſeos vitas litteris conſignavit. Quid commemorem Canteros fratres, Lamberti, Senatoris Provincialis curiae, filios, Theodorum hujus Urbis Conſulem, & Guilielmum, cum amicitia, quae illis interceſſit cum doctiſſimis ſuorum temporum hominibus, tum ſcriptis politiſſimis, quae in manibus eruditiorum virorum ſunt, ſuper aethera notos: Quid Heurnios, antiqua familia patricia ortos, Joannem patrem, quem, cum in aetate tenera Italiam perluſtraret, Princeps Academiarum non Italiae, ſed Europae, Patavium in Profeſſorum Medicinae numerum cooptavit; ſed quem poſtea Patavio par aut ſecunda Leida ſibi vindicavit, multis commentariis de re medica clarum; & filium Ottonem, qui patri in cathedra Leidenſi ſucceſſit. Quid natalibus & dignitatibus inſignem Joannem Cauchium, hujus Urbis Conſulem, Laevino Torrentio, Adriano Junio, aliiſque eruditiſſimis hominibus familiarem, cujus pauca quidem ſcripta ſuperſunt, ſed pererudita, ab ipſis Muſis & Gratiis facta: Vir enim fuit acri ingenio, & magna doctrina, ut ejus notae ineditae in Prudentium, in Varronem de Latina lingua, & in Soſipatrum argumento ſunt, quae ſecunda fortuna in meas pervenerunt manus; & Antonium ejus filium itidem Conſulem, nec non Syndicum Ordinum hujus Provinciae, Lipſio laudatum. Quid Cornelium Valerium, ex cujus diſciplina plurimi prodierunt viri doctiſſimi, inter quos principem lo-

cum tenet Juſtus Lipſius. Docuit autem primo cunctas artes ingenuas in lyceo patrio, ſcriptiſque limatis eas explicuit, dein Lovanienſes ei denunciarunt. Quid vander Burchios, Lambertum ad D. Mariae Decanum, & Adrianum, qui Ordinum tabulario praefuit: Quid Nobiliſſimum Virum Adrianum van Winſen, Toparcham in Hoencoop & Hemſteede, qui de antiquitatibus patriis ingentia complura volumina litteris mandarat, quadraginta feruntur fuiſſe, quae cum ejus fato perpetuis tenebris ſunt ſepulta: Quid Heribertum Roſweidum, & Ottonem Sylium ſocietatis Jeſu ſacerdotes doctiſſimos: Quid Ottonem Cnyſium, primum Epiſcopum Groeninganum: Quid Franciſcum Haraeum, Guibertum Longolium, ex nobili Langeraekiorum gente oriundum, Arnoldum Buchelium, Joannem Cotovicum; Davidem Gorlaeum: Quid Guilielmum Radelantium, & Georgium Ratallerum, ſupremae curiae Provincialis praeſides: Quid ejuſdem Curiae Senatores, Paullum Montanum, Guilielmum Dyemenum, Henricum Agylaeum, Timannum Cauchium, Antonii F. Quid Giſbertum Lappium a Waveren; Petrum Borrium rerum Belgicarum, & Timannum Geſſelium eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores celebres: Quid, qui quidem poſt ortam Academiam floruerunt, ſed qui tamen in hac urbe nati, nominis ſui famam late per totam Europam libris editis ſparſerunt, Chri-

ſtia-

ſtianum Rodenburgium, non modo ſcriptis, ſed & maximis honoribus, quibus functus eſt, illuſtrem, nec non Lambertum Velthuſium, ſenatoriae dignitatis virum, Philoſophum, Medicum, Theologum, varietate doctrinae nulli ſuorum civium inferiorem; Martinum Schokium, copia plurimarum lucubrationum in non uno diſciplinarum genere memorandum; Abrahamum Veſelium, hic ſi non natum, ſaltem eductum a prima aetate, propterque dignitates, quas hic geſſit, pro cive habendum; Gerardum Waſſenarium, patronum cauſſarum non ignobilem. Quo te vero crimine ſilerem, Virgo Nobiliſſima, Anna Maria Schurmannia, cujus vivae ingenium & tot linguarum peritiam tantis laudibus decantarunt Itali, Galli, Belgae, Germani, ut aetas nulla de iis poterit conticeſcere. Videtis, Auditores, quot eximios homines tulerit Trajectum, qui librorum editorum gloria nominis immortalitatem ſibi pepererunt. Multos tamen, multos, mihi credite, praetereo, qui peplo huic intexi poterant, ne nimia prolixitas ſit taedio. Si & illos enumerare vellem, qui ingenii & doctrinae palmam his, quos recenſui, ambiguam fecerunt, quamvis nullos ingenii foetus ediderint; ut & eos, qui etiam nunc in vivis ſunt, exitum non inveniret oratio.

Cum itaque tantam ingeniorum copiam, quae quaſi ſponte ſua effloruerat, bonitati fundi maxime tribuendam eſſe viderent Procères, ſtatuerunt

ſtudioſius illum eſſe colendum. Exiſtimabant enim longe uberiorem meſſem proventuram, ſi accederet diligentior cura & cultura. Manum igitur admovent operi a. d. XVII Kl. Apriles anni trigeſimi ſexti ſupra milleſimum, Coſſ. Gisberto Holackio, &, (qui faſces urbis habuerat quoque biennio, cum gymnaſium conſecraretur, cujus nepotem ampliſſimo Electorum ordini adſcriptum hic praeſentem videmus,) Theodoro Velthuſio, inaugurata fuit Academia, tanto majore cum gaudio & plauſu, quantum Academia ſupereminebat illuſtrem ſcholam. Omnes domus, viae, compita, porticus, fora, omnes curiae templaque gratulationibus perſonabant. Nec poterat tanti gaudii vis noſtrae civitatis & gentis finibus contineri. Oppida vicina ſociorum populorum, tanquam ſedibus ſuis convulſa, concurrebant, ac ſi divinum quoddam lumen toti Belgicae illuxiſſet. Celſiſſimi etiam Principes, Mauritius, Eduardus, & Philippus, tres filii Regis Bohemiae, Comites Palatini ad Rhenum, nec non Dux Joannes Ludovicus, & ipſe Comes Palatinus ad Rhenum Bipontinus, ad ſollennitatem hanc auguſtiorem reddendam huc venerant. Nihil a civibus, nihil a magiſtratibus praetermittebatur, quod ad laetitiae, qua efferebantur, magnitudinem declarandam poterant comminiſci: tantam ſpem de hac nova doctrinae & ſapientiae officina, conceperant omnes.

Agi-

Agite qui ſuaviſſima modulorum ac fidium concentu noſtras mulcetis aures, laetiſſimae diei memoriam nobis refricate.

Spes maxima, quam omnes tam incolae, quam exteri de nova fovebant Academia, nullius fefellit opinionem. Ejus enim fama non creſcebat *occulto velut arbor aevo*; ſed, quod Lucanus de Nilo cecinit,

Non licuit populis parvum te Nile videri,

verum erat de Athenaeo Trajectino; cujus proceſſus non erant tardiores, quam gymnaſii. Magnus ex omnibus Europae gentibus erat concurſus, ut non recenter excitatum, ſed a multis annis conſtitutum videretur: tam brevi convaleſcebat. Galli, Angli, Germani, Pannones, Sarmatae, Gothi, Teutoni advolabant. Alliciebantur quidem dotibus urbis ad excolendas omnium doctrinarum diſciplinas accommodatiſſimae, ſed magis invitabantur praeſtantia, doctrina, induſtria doctorum, quae maxima dos urbis erat. Ii cum majorem & illuſtriorem ſcenam eſſent nacti, in qua ſui ingenii & eruditionis opes explicarent, intenderunt etiam ſtudium & vigilantiam; dies noctesque inſtabant, feſtinabant, omnibus viribus corporis & animi nitebantur, ut, qui ad mercatum iſtum optimarum artium confluxerant juvenes, fructum ſui itineris caperent ampliſſimum, & quantum profeciſſent eos non poeniteret. Dabatur inprimis opera, ut pietate,

& veris de Deo & ejus cultu ſenſibus imbuerentur. In hoc enim omnem curam & cogitationem prae ceteris collocarat venerandus ille Gisbertus Voetius, ut & moribus & animis ad Chriſti leges & exemplum compoſitis veram divinarum rerum intelligentiam conſequerentur. In emendandae vitae ratione praeibat diſcipulis exemplo; in divinorum oraculorum myſteriis perſpiciendis multiplici diffuſaque, qua inſtructus erat, eruditione facem praelucebat. Anilium ſuperſtitionum explodebantur deliramenta, inſanientis ſapientiae & prave de capitibus noſtrae religionis ſentientium peſtilentes opiniones jugulabantur, inanes argutiae corruptorum veritatis diſcutiebantur, nihil omittebatur, ut in tanta de ſacris opinionum varietate, convictis erroribus veritas triumpharet, eamque cuncti amplecterentur. Vis omnis aberat. Robur argumentorum, invictum pondus firmiſſimarum rationum, perſpicuitas inexpugnabilium probationum ſunt quibus mentes humanae expugnantur machinae. Nihil liberius eſt in orbe terrarum religione, quamvis a religandis animis dicta eſſe credatur. In religione colenda niſi quisque ſuo utatur judicio, religio funditus tollitur. Non eſt illa religio, ad quam ullius auctoritate, imperio, minis, vi quis pertrahitur. Quod ſi mihi non creditis, credite Tertulliano, doctori Chriſtiano fere antiquiſſimo, graviſſimo ſane & doctiſſimo. *Humani juris*, inquit, *& naturalis pote-*

ſtatis

ſtatis eſt, unumquemque quod putaverit colere, nec alii aut prodeſt, aut obeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt, cogere religionem, quae ſponte ſuſcipi debet, non vi, cum & hoſtiae ab anima libenti expoſtulentur. O divine Tertulliane! quam tu recte vidiſti, quae vis ſit religionis, quaeque illam docendi, propagandi, tuendi veriſſima ſit ratio! Hanc viam videras ab Apoſtolis & eorum diſcipulis eſſe tritam, qua gentilium impuriſſimas religiones everterunt, Jovem de arce deturbarunt, Neptuno, Mercurio, Apollini, Aeſculapio, & quos alios habebant deaſtros infinitos, non modo aqua & igni, ut ſic dicam, interdixerunt ubique gentium, & locorum, ſed extinxerunt & e medio plane ſuſtulerunt: doctrinam vero de Chriſto cruci ſuffixo, a communi ſenſu hominum tam abhorrentem, ut Philoſophis videretur ſtulta & inſana, per totum orbem diſſeminarunt tanto cum ſucceſſu, ut fibris omnibus inveteratæ ſuperſtitionis eliſis, ſola floreat. Neminem ii cogebant ad aſſenſum ſuae doctrinae, docebant omnes. Sicut omnis virtus, ſic religio maxime eſt voluntaria. Creditiſne quenquam natorum mortalium vi poſſe cogi, ut vir bonus evadat, & virtutem colat? aut ut quis de ulla re ſentiat, quod ſentire non vult, nec, ut ſic ſentiat, in animum inducere poteſt? Quae corporis peraguntur miniſterio, poſſunt imperari. Vt ea inviti agamus poſſumus cogi; ſed ut ea libenter

 facia-

faciamus, quae ingratiis noſtris facienda ſunt, nulla vi, nullis minis, nullis ſuppliciis cogi quisquam mortalium ab ullo mortali poteſt. Nihil eſt a religione alienius, quam alii credendi neceſſitatem imponere illorum, quae credere non poteſt. Magiſtratuum jus & poteſtas eſt providere, ne quid reſp. detrimenti capiat aut ex artibus, quae exercentur, aut ex opinionibus, quae ſparguntur, noxiis ſuae civitati. Utrasque pro jure, quo Deus eos armavit, poſſunt vetare, ſi reipublicae ſalutem & tranquillitatem in ea re ſitam eſſe perſuaſum habent. Si quis dicto nolit audiens eſſe, poſſunt proſcribere, ne compoſita turbentur; ſed ut ſuis ſubſcribat ſententiis de cultu divino, nemini poſſunt imperare, neminem cogere. Hanc poteſtatem ſolus Deus ſibi vindicavit, qui unicus eſt, ut cum veteribus loquar, verticordius: nulli data eſt principi, nulli magiſtratui.

Theologicae docendae, ut redeam in viam, unde digreſſus ſum, Voetio non multo poſt collega datus eſt Carolus Demaetius; huic, cum e vivis exceſſiſſet, Joannes Hoornbeeckius; Hoornbeeckio, cum eum nobis invidiſſet nimium vicina Cremona, ſuffecti ſunt Andreas Eſſenius, & Gualterus Bruno. Aliquot annis poſt Lugduno Batavorum arceſſitur Franciſcus Burmannus. Hi omnes praeter Brunonem immortalibus litterarum monumentis, & auditorum celebritate de religio-

ligione, de eccleſia, de Academia egregie ſunt meriti. Clarum in primis fuit proximis his annis Burmanni nomen. Noſtis plerique omnes, quanta frequentia ejus domus, auditorium & templa, cum ſcholas haberet, cum verba faceret pro concione, celebrarentur, quam cupide ejus ſcripta diriperentur, & quo in pretio nunc quoque poſt ejus fata ſint, cum ab aliis in compendium redigantur, ab aliis in linguas vertantur vernaculas. Vivorum pudori & modeſtiae parco, ne ipſorum aures offendam, aut in aſſentationis ſuſpicionem incurram.

Non ſegnius quam Theologice, nec minore cum profectu ceterae facultates excolebantur. In diſciplina Romani juris illuſtranda Antonius Matthaeus, vir ſingularis, elaborabat, & ejus collega Bernhardus Schotanus, primus Academiae Magnificus Rector. Quos aut fatis, aut a vicinis ereptos exceperunt Henricus Moreelſius, quem non tantum Academica infula, ſed & Conſularis praetexta in urbana, & Senatoria toga in Provinciali curia decoravit: Paullus Voetius, cum paterna imagine, ne nunc dicam de Vinſeniorum proſapiae ſplendore, unde maternum genus ducunt Voetii, conſpicuus; tum Senatoria dignitate in ſupremo tribunali illuſtriſſimi Comitis Broederodii, quod eſt Vianae; nec non Graecae linguae & Philoſophiae profeſſione, antequam in juriſconſultorum cathedram producere-

 tur,

tur, ut & filiis paternum & avitum decus non modo propagantibus, ſed & amplificantibus, ex quibus Joannes major natu, & ipſe paternam in hac Academia, ut ante Herbornenſem Naſſaviorum, nunc Leidenſem cathedram ornat; ſicut minor natu Paullus rempublicam. His acceſſerunt Antonius Matthæus, magni Antonii digniſſimus filius, quem Leida quoque nobis debet; Abrahamus Wykerſlotius ex Academia in curiam, ex curia in ſupremum noſtrae dioeceſeos dicaſterium provectus.

Medendi artem princeps praecepit Guilielmus Stratenus, ſed quem aula Principis Arauſionenſis ſibi aſſeruit, ac poſt multos annos nobis ad gubernacula urbis moderanda redonavit. Poſt Stratenum Henrici Regii ingenium eminuit in arte Medica tradenda, & Isbrandi Diemerbroeckii. Vtriuſque tanta fuit fama, ut illius de arte Medica, & cauſſis rerum naturalium his in terris non ſemel; hujus de Anatome commentarii hic bis, Lugduni in Gallia, ut & Coloniae Allobrogum repetitis editionibus ſint publicati. In Philoſophia interpretanda, praeterquam Henricus Reinerus, conſumſerunt aetatem eximii viri, Arnoldus Senguerdius, quo nos Amſterodamum ſpoliavit, Daniel Bergringerus, Jacobus Ravensbergius, Daniel Voetius, Gisberti filius, Paulli Frater (tot nominibus Academia noſtra huic familiae eſt devincta) Joannes

Bru-

Bruno, Regnerus Mansfeldius. Singuli ad excitanda juventutis ſtudia plurimum ingenii & induſtriae contulerunt, tanta felicitate, ut ad uberiorem cognitionis Philoſophicae frugem plurimi effloruerint.

Nec linguarum Hebraicae, Graecae, Latinae, nec humanitatis ſtudia inculta jacuerunt in hoc Auguſto Muſarum ſacrario, ex quorum theſauris ceterae artes ac ſcientiae exornandi & illuſtrandi ſe copias comparant. Quid enim illis impeditius, horridius, quid mutum & inanimum magis, ſi ſpiritus & anima ſcientiarum omnium humanitas afuerit. Quod nomen ei datum eſt, quod maxime perficiat naturam humanam, eamque a beſtiarum communione ſejungat ac ſeparet. Humanite autem imbuendi politiores & ad magna natos juvenes provinciam ornabant Juſtus Liraeus, & celeberrimus ille deceſſor meus Antonius Aemilius nec non facundiſſimus Ludovicus Wolzogen, quem nobis debet Amſterodamum.

Excellentes iſtos, & qua quiſque ſcientia & arte cenſeri voluit, perfectiſſimos viros, non ambitioſe, ſed ſevero dilectu convocatos cum praefecerint huic bonae mentis templo, quod erexerant, aut in defunctorum & decedentium locum ſubſtituerint ſapientiſſimi hujus Urbis Magiſtratus, non potuit non id magno ſemper aemulantium ſtudia juvenum numero florere. Frequentata fuit non tantum a mediae

ſortis hominibus, qui praeſidium vitae fortunarumque in honeſtarum artium cultu ſibi conſtituerunt, ſed & a nobilium, Comitum, ac potentium Principum filiis. Vidimus a non multis annis apud nos, nec vidimus modo, ſed in iis, qui noſtra diſciplina ſunt uſi, numeravimus Celſiſſimos Duces, Wirtenbergenſes fratres, Iſenacenſem ex Saxonia, Holſatiae, Bipontinum, ut & Comites Lippiacos, alioſque. Qui ante meam aetatem Principum liberi egerint in hac Academia, longum eſſet enumerare. Ceterorum ornatiſſimorum juvenum quantus concurſus fuerit, qui diſcendo, exercendo, diſputandoque, ut nunc loquuntur, longiſſime in omnium ſcientiarum notitia proceſſerunt, hinc aeſtimari poteſt, quod numerum millenarium excedant, quorum quinquaginta his annis capita laureis, quae ſunt doctarum praemia frontium, velavimus, & ſummis Academicis honoribus affecimus. Primus, qui a juriſconſultorum ordine, ſuffragante Senatu Academico, hoc eruditionis praemium tulit, primuſque Juris doctor eſt renunciatus, fuit Juſtus Krixius, extraordinario congiario, argenteo ſcypho, quod auro in ductum eſt, hoc nomine ab ampliſſimo Senatu donatus. Infinita denique multitudo virorum eximiorum ex hoc ingeniorum prytaneo prodiit, quae plurima totius Europae templa, curias, aulas, tribunalia, gymnaſia & ſcholas erudito quaſi implevit examine.

mine. Hinc fuerunt etiam, qui moti tantis exſplendeſcentis Academiae decoribus eam judiciis ornarunt ſupremis. Arnoldus Buchelius, vir doctiſſimus & copioſiſſimus, avus illius Buchelii, qui res Pontificum Trajectinorum ab Heda & Becka memoriae proditas ſummo ſtudio & cura illuſtravit, inſtructiſſimam & ab omnium doctrinarum & artium libris paratiſſimam bibliothecam legavit Academiae. Haec numeroſa ſupellex litteraria ſubinde Senatus noſtri liberalitate locupletatur praeclaris operibus ſtudioſorum bono. Vere autem Reges Aegyptii bibliothecam proſcripſerunt animarum medicinam. Joannes Lucas, Frankenthalenſis, vir optimus, qui hic ſedem fixerat, teſtamenti tabulis ordinavit, ut viginti quinque millia florenorum fœnori collocarentur, in tutelam aliquot adoleſcentum, qui ſacrarum litterarum ſtudiis ſe manciparent. Hujus legati curam mandavit duobus praecipue primariis Theologiae Profeſſoribus, qui legerent dignos hoc beneficio.

Quis non intelligit, quae fuerit primorum quinquaginta annorum felicitas? Secundis ſane ventis ferebatur Academia, quamvis non nunquam inteſtinis diſſidiis fuerit jactata, & ante hos duodecim annos ſaeviſſimis procellis & turbinibus vexata, lacerata, & tantum non cum ipſa republica depreſſa & ſubverſa. Loca conventus noſtri, quae perſonuerant divinarum hu-

manarumque rerum doctrinis, converſa in horrea hoſtilis commeatus non crudito pulvere obſita ſquallebant; dilapſa erat nobis Muſisque dedita juventus, ipſae Muſarum voces prae armorum ſtrepitu non audiebantur: vaſtum erat ubique ſilentium: omnia perculſa & proſtrata jacebant. Sed nolo inominati & illaetabilis illius temporis diutius meminiſſe, ne vel ſola illius memoria laetitiam hujus diei offuſcet, eumque reddat inauſpicatum. Domeſtici vero aemulationum motus, quibus agitati non nunquam ſumus, non tam fraudi fuerunt Palladio noſtro, quam nova incrementorum materies. Romam ad illud potentiae faſtigium, ad illud omnium gentium imperium extulit non tam virtus bellica, & pacis ſapientia, quam ordinum certamina, & perpetua de dignitate contentio, quae ſingulorum inflammavit ardorem bonis & reip. ſalutaribus artibus emergendi. Non alia ſtudiorum ſapientiae ratio eſt. Vileſcunt, frigent, jacent, ſi non aemulatione, ſi non contentionibus excitantur. Nunquam artes ad iſtud elegantiae culmen eſcendiſſent, ſi non diſcrepantia judiciorum, & certamen quoddam artificum ad id eas perduxiſſent. Philoſophia mater omnium praeclarum artium, a tenuibus orta principiis, qua via pervenit ad tantam perfectionem, quam diſſenſione magiſtrorum ſapientiae? Ipſa Regina ſcientiarum Theologia diſſiden-

dentium doctorum opinionibus crevit. Quam non dilucide, ſane quam non circumſpecte ſatis plerique priſcae eccleſiae doctores ante Concilium Nicaeum locuti ſunt de S. S. Trinitatis myſterio. Caput religionis de gratia divina non fuit ante Pelagium ſatis expolitum, & ad ſerenitatem, ut ſic dicam, diſcuſſis quibus obſidebatur nebulis, redactum, ad quam illud redegit Auguſtinus, Pelagii argutiis excitatus ad hanc doctrinam a radicibus limandam, & quicquid aſperum in illa relictum fuerat enodandum. Acuitur induſtria, incenditur ſtudium abditas res penitius rimandi aemulatione & contentione ingeniorum. Haec ubi languet, ipſae languent artes & torpent. Cum nemo audet de ſententiis ſuorum magiſtrorum vel latum unguem diſcedere; cum ſemper eorum veſtigia ſic premit, ut pedem alio ponere piaculum ducat, non tantum incrementum nullum affertur ſapientiae ſtudiis, ſed retro ſublapſa feruntur, aeque ut dignitas, quae cum non creſcit, minuitur. Novitatis nomen non ſemper inviſum eſt. Non tamen quicquid novitatis ſpecie blanditur, eſt arripiendum. Nec omnia nova ſolo novitatis nomine ſunt damnanda. Omne verum, omne pulchrum, quandocunque in lucem protrahitur, eſt antiquiſſimum.

Ex naufragio autem illo miſerrimo ubi lyceum noſtrum auſpiciis, virtute, & conſilio Sereniſſimi

Principis Arauſionenſis, Guilielmi tertii, hujus reipublicae Camilli, emerſit, brevi

Duris ut ilex tonſa bipennibus laetius

reviruit. Quod veſtrae curae, liberalitati, & prolixo in Veſtram Academiam ſtudio, Ampliſſ. Coſſ. & Senatores, ad Vos enim nunc mea convertitur oratio, debemus: Vobis ſolis ferimus acceptum. Vobis hoc nomine gratias agimus immortales. Vos cum attritiſſimae eſſent reip. opes, magnae aerarii anguſtiae, exhauſtae omnium arcae, in agris ſquallor, vaſtitas, ſolitudo, villae & antiqua generoſiſſimorum virorum praetoria incenſa jacerent in ruinis, & tota dioecefis noſtra nil niſi merae eſſent parietinae, inter curas, quas ſuſtinebatis, graviſſimas, ut in rebus valde dubiis, cum hoſtis etiam num ad Vahalim & Moſam jugulis noſtris incubaret, nullam priorem & antiquiorem curam Vobis eſſe oſtendiſtis cura Academiae. Stipendium, quod Profeſſoribus in illis biennii tenebris depenſum non fuerat; non quidem praeſente pecunia, cujus penuria tum magna erat, ſed nominibus factis perſolviſtis. Novos Profeſſores, qui mortuorum vices exciperent, renunciaſtis. Poſt cum Vrbs non nihil recrearetur, quorum honoraria, reip. neceſſitatibus exigentibus, recideratis, in integrum reſtituiſtis; aliorum vectigal annuum liberaliter auxiſtis, ut & collegarum noſtrorum numerum, qui tantus ſuperioribus temporibus nunquam fuerat: Academiam amplo & perpulchro opere, in quo noſter

noſter habetur ſenatus, ornaſtis. Jam vero cum hanc ſupplicationem, propter ſervatam Academiam per annos quinquaginta, juſſiſtis fieri, templiſque indixiſtis honorem, luculentiſſimo & nobis, & veſtris civibus, & tot exteris, argumento declaraſtis quam curae vobis cordique ſit ſalus & dignitas Academiae, quam a majoribus veſtris exſtructam magno ſtudio, magnoque ſumtu, non minore tuemini. Gratias vobis dignas perſolvere pro hac propenſiſſima voluntate in optimas artes, non eſt opis noſtrae, non eſt. Deum ſupplices veneramur, uti hujus amoris veſtri tam teſtati fructum percipiatis uberrimum, ex gloria, quae vos manet immortalis, ex frequentiſſima juventute, quae adoleſcet reip. & eccleſiae ornamento & praeſidio, ne vos unquam tantae benignitatis, & tanti impendii poeniteat: utique hoc novum, quod aperitur, ſeculum felix, pacatum, inoffenſum decurrat: utique ſecularis haec feſtivitas ſaepius, ſed ſemper candidior laetiorque redeat: utique veſtra poſteritas, Veſtra Urbs, Veſtra Academia floreat & vigeat diutiſſime.

D I X I.

Sive memoriae, ſive calami vitio praeteritus fuit p. 22. v. 22, Mainardus Schotanus. Sic igitur reſcribenda ſunt illa verba: Voetio non multo poſt collegae dati ſunt Mainardus Schotanus, & Carolus Demaetius: &

p. 24. Philippus Matthaeus, Anton. F. Poſt illa verba v. 15. ſint publicati; adde: Docuit etiam hanc artem Philippus Matthaeus Anton. F. quem, ut fratrem Antonium Lugdunum, ſic hunc Franeckera Friſiorum nobis abduxit.

* * *

Non poſſum quin hic etiam publicem ſingulare monumentum mirifici favoris & ſtudii, quo Academiae conditores eos ſe proſequi teſtificati ſunt, qui ad illam colendam huc ſe contulerunt. Primum Juris Doctorem poculo inaurato illos donaſſe dictum eſt. In ejus operculo ſtat Minerva Trajectina, margines exteriores oſtentant inſignia novorum doctorum, annulum; librum, pileum; interiores ſymbolum Academiae Solem; fundus hunc titulum:

M. S.

Praemium hoc una cum Jure Civitatis Nobiliſſ. Ampliſſ. D. D. COSS. ac Senatus inclytae Urbis Trajectinae donarunt Nob. D°. JUSTO CRIEX quod primus in nova Academia Ultraject. Juris Utriuſque Doctor eſſet renunciatus Kalend. Decemb. cIↄ Iↄc xxxvi.

Fuerunt

Fuerunt nonnulli, qui virorum doctorum, quos hanc urbem tuliſſe diximus ſeculo ſuperiore, antequam Academia conſtitueretur, ſcripta ſcire deſiderarunt. quorum ne voluntati deeſſe videremur, haec ſubjicienda duximus.

ADRIANUS P. M. edidit

Quaeſtiones Quodlibeticas XII varii argumenti, Lovanii 1512. 8. Pariſ. 1516. fol. & alibi.

Quaeſtiones & expoſitiones in IV ſententiarum libros, quibus ſacramenta explicantur, & dubia circa ea diſcutiuntur Pariſ. 1512, & 1516 fol. 1527. 8. & alibi.

Computum hominis agonizantis. Lovanii

De ſacculo pertuſo, ſive de ſuperbia ſermonem. Antverp. 1520.

Pontifex Maximus creatus regulas Cancellariae Apoſtolicae. Antverp. 1523.

GUILIELMUS CANTERUS, Lamberti Senatoris Provincialis Curiae Trajectinae filius, ſcripſit

Novarum lectionum libros VIII Antverp. typis Plantin. 1571. 8.

Syntagma de ratione emendandi Graecos auctores. typis Plantin. 1571. 8.

Scholia brevia in Propertium. 16. 1569. 8.

Annotationes in Lycophronis Caſſandram.

Epitomen Caſſandrae Graeco & Latino carmine Anacreontico. Baſil. typis Oporini 1566. 4.

Pepli fragmentum, ſive Heroum Homericorum epitaphia, auctori ſuo Ariſtoteli primus reſtituit, ibid. typis Guarini 1566. & Antverp. apud Plantin. 1571.

Ariſtidis orationes Latine reddidit tomis III Baſil. 1566. fol. & cum verſione Latina apud Paullum Stephanum 1603. 8

Georgiae Orationes II. Thucydidis I. Lesbonactis I Andocidis aliaſque Latine verſas Baſil. typis Pernae 1566.

Syneſii orationes aliquot. ibid. 1567. 8. edente Oporino.

Ioannis Stobaei eclogarum libros II, Phyſicas & Ethicas, nec non Gemiſthi Plethonis de rebus Peloponneſiacis orationes duas, & libellum de virtutibus Latine verſum. Antverp. 1575. fol. Plantini typis.

Variarum in Graecis bibliis lectionum libellum cum bibliis Regiis editum.

I Euripi-

Euripidis, Sophoclis, Aeſchyli tragoedias a mendis repurgatas edidit, carminumque ignotam penitus noſtro ſeculo rationem oſtendit. typis Plantin. 12. Et hæc omnia in tantilla aetate. obiit enim privatus Lovanii, longa tabe conſumtus, aetatis anno 33. nondum exacto, anno 1575.

THEODORUS CANTERUS, Lamb. Fil. Guil. frater, Conſul Trajectinus edidit

Variarum lectionum lib. II. ad Georg. Ratallerum. Antverp. typis Plant. quae poſtea theſauro Critico Gruteri inſerti.

Notas in Arnobium. 1512. 8.

Collegerat fragmenta veterum poetarum, Tragicorum, Comicorum, & aliorum, typographo dudum tradita; ſed quae cum ipſo interciderunt.

JOANNES HEURNIUS, Lovanii cum Medicinam & Matheſin imbibiſſet, in Italiam profectus Patavii docendi publice medicinam ſtatio ei fuit decreta; poſt duodecennalem profectionem domum revocatus Leidae in eadem provincia fuit oblata, quam ornavit mirifice. De cujus vita ſcriptiſque plurimis vide Batavicas Athenas Meurſii.

OTHO HEURNIUS Joann. Fil. edidit

Antiquitatum Philoſophiae Barbaricae libros II. Lugdun. 12.

Babylonica, Agyptiae Indica Philoſophiae primordia. Ibid. 12.

JOANNES CAUCHIUS, vulgo vanCuyk, Conſul Trajectinus, cujus ingenium, & eruditionem mirifice laudat Adrianus Junius edidit

Animadverſiones in officia Ciceronis typis Plantin. 1568.

Ejuſdem ſtudio reſtitutus eſt Cornelius Nepos de Vitis Imperatorum Graecorum, quae editio prodiit Trajecti 8. 1542, & merito laudatur ab Andrea Boſio V. CL. eſt enim multis aliis in plurimis locis emendatior.

Pleroſque ſcriptores omnes Latinos eleganter caſtigavit, & doctis annotationibus marginibus adſcriptis illuſtravit, ex quibus illos, quorum in oratione memini, in auctione mihi vindicavi. de hoc Paullus Manutius lib. IV. epiſt. ad Laevinum Torrentium: *Tuae me litterae oppreſſerunt, quibus commendas mibi modeſtiſſimos & ſummae ſpei adoleſcentes, Joannis Cauchi filios, doctiſſimi & ingenioſiſſimi hominis, ut equidem ſentio, tuo primum teſtimonio, dein ſcriptis illius, quae qui legerit, nullius praeterea teſtimonium requirat.*

ANTO-

ANTONIUS CAUCHIUS, J.F. & ipſe Conſul Trajectinus, edidit Grammaticam Latinam & Gallicum Antverp. 1576, & Argentor. 1586. 8, quam praedicat J. Lipſius his phaleucis:

Quod Scaurus, Caper, & Probus, Palaemon,
Dum formant animos, rudi juventae
Olim multiplici dedere ſcripto:
En paucis tibi chartulis Apelles
Pinxit noſter. Habe & fave juventus.
At vos Grammaticae leves cohortes,
Inflatum genus hordeoque paſtum,
Cum ſceptris feruliſque abite veſtris,
Et decedite Cauchii libello,
Qui veſtros pedibus trahit libellos.

TIMANNUS CAUCHIUS, A.F. Senator Provincialis Curiae ſcripſit annotationes ad Aymonis Cravettae reſponſa Juris. Ultrajecti 1623. 8.

CORNELIUS VALERIUS, culte breviter & emendate litteris prodidit omnis fere encyclopaediae doctrinam.

Grammaticarum inſtitutionum libros IV.
De naturae Philoſophia inſtitutiones.
Prima Aſtronomiae ac Geographiae praecepta.
Moralis Philoſophiae epitomen.
Animadverſiones in Ciceronis de officiis libros. & alia

Ejus diſcipulis annumerandi ſunt etiam Canteri fratres, &, ut dictum, J. Lipſius. M. Antonius Muretus lib. 1. epiſt. 49. ad Valerium: *Redit ad te Lipſius tuus, & redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit ſibi praeſtantia ingenii & doctrinae, integritate morum, ſuavitate ſermonis ac conſuetudinis ſuae; ut eo diſcedente, a memet ipſo mihi avelli viderer. Felicem te Corneli, cujus ex diſciplina adoleſcens tam rari exempli prodiit. Equidem antea & magni faciebam te ex ſcriptis tuis, & amabam pro judicio, quod emendatiſſime de emendatis a me Terentii fabulis feceras.* Vide ſequentia.

LAMBERTUS vander BURCHIUS, Decanus ad D. Mariae, prodidit Hiſtoriam Ducum ac Principum Sabaudiae. Lugd, Batav. 1598.
Vitam Guidonis Comitis Flandriae. Ultrajecti 1615. 8.

ADRIANUS vander BURCHIUS, Ordinibus ab actis, publicavit laudes Hieronymi Columnae, & Aſcanii Columnae. Antverp. 1582. 4.
Epigrammatum ſacrorum centurias II Lugdun. Batav. 1589.
Epigrammatum centurias III ibidem 1590. 8.
Hortulum precum ad Magiſtratum Ultrajectinum.
Varios carminum aliorum libellos. Recenſuit quoque *Petri Apollonii*, Presbyteri Novarienſis de excidio Jeroſolomitano lib. IV.

ADRIANUS van WINSSEN, Toparcha in Hoencoop & Hemſteede, quadraginta magnis voluminibus complexus eſt hujus dioeceſeos res omnium ſeculorum, quas indefeſſo ſtudio, labore & ſumtu perveſtigavit; ſed fatis acerbis occupatus ea luci donare non potuit: ſperamus tamen fore, ut aliquando ex tenebris iſtis eluctentur.

HERIBERTUS ROSWEIDUS Sociecietatis Jeſu plurima ſcripſit, ex quibus libet commemorare Annotationes in vetus Martyrologium Romanum, hactenus a Baronio deſideratum, & *Martyrologium Adonis* ad mss recenſitum 1613. fol. Antverp.
Vitas patrum ad vet. codices emendatas, & notis illuſtratas, cum gloſſario eruditiſſimo ibid. 1615. & auctius 1618.
Eucherium Lugdunenſem de contemtu mundi, & laude eremitae typis Plant. 1621.
In Paullini Nolani opera notas. 16. 1622.
Joannis Moſchi pratum ſpirituale cum notis. ibid. 1615. fol.

OTHO ZYLIUS Societatis Jeſu
Vitam S. S. Xenophontis & Mariae conjugum, filiorumque Joannis & Arcadii e Graeco Latine reddidit, item
Vitam SS. Cyri & Joannis Martyrum apud Bollandum.
Ruremundam illuſtratam dedit. Lovan. 1613. 8.

JOANNES CNYFIUS, Epiſcopus Groeſinganus ſcripſit Com-

Commentarium in Pſalmos *miſerere & de profundis.* Antverp. apud Strelſium.

FRANCISCUS HARAEUS vulgo van der Haer, juris publici fecit inter alia
Olympiades & Faſtos, concordi ſerie Hiſtoriae ſacrae & profanae, uſque ad Chriſtum paſſum. Coloniae 1602. 4.
Chronologiam brevem ab orbe condito uſqne ad Chriſtum paſſum in 8o.
Annales Ducum Brabantiae ac tumultuum Belgicorum. Antverp. typis Plantin. 1622. fol. tomis 3.
Biblia ſacra illuſtrata expoſitionibus priſcorum patrum, ibid. 1626. fol.

GYBERTUS LONGOLIUS, Collega Cornelii Valerii, Medicus poſtea & domeſticus Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis luci commiſit
Annotationes in Metamorphoſin Ovidii Colon. apud Gymnicum 1534.
Annotationes ad loca difficiliora Rhetoricorum ad Herennium. ibid. 1535. 8.
Scholia quædam in Plautum ibid. 1535. 8.
Dialogum de avibus, quas pulveratrices appellant, & earum nominibus. ibid. 1544.
Philoſtratum de vita Apollonii Tyanei ad Graecum exemplar emendatum, 16. 1532.

JOANNES COTOVICUS J. U. D. ſcripſit Itinerarium Ieroſolymitanum & Syriacum. Antverp. 1619. 4.

DAVID GORLAEUS dedit
Exercitationes Philoſophicas. 1620. 8.

GUILIELMUS RADELLANTIUS Curiae Provincialis praeſes edidit deciſiones Curiae Provincialis Trajectinas 1637. 4.

GEORGIUS RATALLERUS Curiæ Provincialis Praeſes divulgavit
Heſiodi opera & dies verſu Elegiaco.
Epigrammatum lib. 1.
Sophoclis Tragoedias tres Phoeniſſam, Hippolytum conatum,

ronatum, & Andromacham, typis Plant. 1581. ib. ſed quas infinitis locis correctas vidi ipſius Rataller manu in bibliotheca Nicolai Heinſii.

PAULLUS MONTANUS Senator Curiae Provincialis ſcripſit famoſum commentarium de jure tutelarum & curationum. Lugd. 1595. fol.

GUILIELMUS DYEMENUS Curiae Provincialis Senator in lucem protulit diſſertationem
De formulis quibuſdam copulatis & disjunctis ad Salvii Iuliani locum, ex libro de ambiguitatibus. Lovanii 1606. 4.
Ad regulas Romanorum antiqui juris Lugd. Batavorum 1616.
Multa nondum edita reliquit. de v pedum praeſcriptione non ſublata diſputationem, & notas ad T. Livium, & ad M. Varronem.

HENRICUS AGYLAEUS Provincialis Curiae Senator e Graeco vertit in Latinam linguam
Leonis Auguſti Imperatoris novellas, Imperatoris Iuſtiniani edicta & conſtitutiones aliquot, nec non Imp. Tiberii conſtitutionem unam, & aliam Zenonis Imperatoris. Henricus Stephanus 1560. 8.
Nomocanonem Photii Patriarchae, cum commentariis Theodori Balſamonis. Baſileae apud Oporinum fol. 1561.
Novellas Iuſtiniani Imperatoris, verſionemque Haloandri emendavit, adjectis variis lectionibus.

GISBERTUS LAPPIUS a WAVEREN J.U.D. poſt mortem Arnoldi Buchelii recenſuit & pertexuit Corpus Hiſtoriae Ultrajectinae, & non pauca illi adjecit. Ultrajecti 1613. fol.

PETRI BORRII Hiſtoria foederatae Belgicae, nuperius denuo edita 4 volum. fol. in omnium manibus verſatur, ut &

TIMANNI GESSELII Med. D. Hiſtoria eccleſiaſtica 2. volum. 4.

CHRISTIANUS RODENBURGIUS Decanus ad S. Patri olim Senator Curiae Provincialis, poſt in Electo-

Electorum Ordinem adſcitus, & ejus nomine Illuſtri Collegio, quod Conſilium Status vocatur, Hagae Comitum adſcriptus edidit

De jure conjugum commentarium. Ultrajecti 1613, 4. & Antverpiae 8.

LAMBERTI VELTHUSII Senatoris olim Urbis Trajecti opera in duo volumina congeſta, Roterodami 1680. 4.

MARTINI SCHOOCKII, Profeſſoris Groeningenſis plurimae lucubrationes variis in locis editae:

ABRAHAMI VESELII &

GERARDI WASSENARII in juris ſcientia labores; nec non

ANNAE MARIAE SCHURMANNIAE opuſcula non una omnibus nota ſunt.

De Profeſſorum hujus Academiae ſcriptis ſeparatim agetur alio tempore.

Multos vero me praeteriiſſe certum eſt. Potuiſſem adtexere Petrum Valkendalium a Zyl, Aemilium Stook, auctorem veteris Chronici Rhytmici a nobiliſſimo Jano Duſa editi. Nam hunc presbyterum Trajectinum fuiſſe conſtat ex mss: Albertum Leoninum vulgo van Leuwen a Groenewoude J. U. D. & Mathematicum minime vulgarem, Gerardum Mulertum, Conſilii Belgici, quod Machlinae eſt, Conſiliarium, legationibus clarum, ac Georgii Schenckii, Friſiæ Gubernatoris optionem, Joannem Wittium, Stephani, Equitis Aurati Filium, Philippum Morum, Ioannem Veldenarum, alioſque non paucos. Potuiſſem enumerare plurimos pictores celeberrimos, qui ingenio proximi ſunt iis, qui in doctrinarum ſtudiis verſantur. Nullam enim urbem inferioris Germaniae, ſi diſceſſeris ab Antverpia, majorem artificum copiam edidiſſe noſtra Trajecto, qui in illis recenſendis operam collocarunt, dudum ſunt teſtati. Sed non ferebant temporis anguſtiae.

FINIS.

99 958640

1062

Digitized by Google